

PETRI RAMI SCHOLA-  
RUM MATHEMATICARUM  
LIB. X. IN II. LIB.

*elementorum.*



Ed haectenus primus liber doctrinam habuit de lineis, triangulis parallelogrammis, valde obscuram & verae logicae valde contrariam, non solum quia multas definitiones partitionesque omittit, sed quia pleraque generalia specialiter instituit, ut in linea recta parallelismum qui est omnis lineae communis, ut in angulo plano rectum, obtusum, acutum, quae sunt omnis anguli communia. Pari vitio propositiones undecim 1. 16. 17. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 47. 48. speciales generalibus suis praepositae sunt, item quae consecutaria essent, tanquam principales demonstratae, 41. 42. 44. 45. septima prorsus inanis est, cum sit eadem cum octava. Linearum parallelarum proprietates confusae sunt: toto denique libro de lineis & triangulis hystorologia multa est. Ita exposita est doctrina linearum superficiei trilaterae in ratione trianguli, tum quadrilaterae in parallelogrammorum ratione, & tandem etiam quadratorum. Secundus liber comparat deinde parallelogrammum rectangulum cum rectangulo propositione prima, quadratum cum rectangulo & quadrato 4 & 12: cum quadrato 9 & 10. oblongum cum rectangulo & quadrato 3. cum quadrato 11. 14. 2. 5. 6. 7. 13. 8. Totus enim liber sic est in comparatione aequalitatis. De doctrina autem decem primarum propositionum Proclus superiore libro sententiam suam exposuit, sectiones decem primarum propositionum communes esse arithmeticae & geometriae, symmetriam quidem arithmeticae esse propriam, ab eaque ad Geometriam specie & ratione pervenire, quod est verum: figuram vero propriam esse Geometriae, ab eaque ad Arithmeticae κατὰ ἀριθμολογίαν καὶ αἰτίας succedere, qua de re diximus ad 9 e 41. Numeros figuratos interpretes esse quarundam in figuris affectionum, non omnium: & arithmeticae talem esse non simpliciter arithmeticae, sed arithmeticae geometriae. Definitiones duae sunt secundo libro, eas videamus.

1 Περιέχεται καὶ περιόχῃ comprehendi & comprehensio nomina sunt figurae geometricae, ut primo libro satis est intellectum. Illic tamen paulo secus 20. 21. 22. 23. usurpatur illud verbum. Comprehensio enim geometrica in rectangulis arithmeticae multiplicationis similis est, & sic fieri numerus e numeris inter se multiplicatis dicitur quo rectangulum e duabus rectis comprehendi. Itaque & numerus rectanguli hic est interpretis, & planus pro rectangulo appellatur postea ab Euclide in libris arithmetice. Definitio autem rectanguli non satis accurata est. Nam rectangulum definiendum erat parallelogrammum, quod rectos angulos habet. Atqui

AAa 2